

ministerialem potestatem. Unde rectissime Confess. Apolog. tit. de Confess. & satisfact. p. 181. iudicium hoc refellit inquit : Quod obijciunt Papista, iudicem prius debere cognoscere causam, priusquam pronunciat, hoc nihil ad rem pertinet, quia Ministerium absolutionis beneficium est seu gratia, non est iudicium, seu lex. Itaque ministri in Ecclesia habent mandatum remittendi peccata, non habent mandatum cognoscendi occulta delicta. Et quidem absolvunt ab his, quae non meminimus, quare absolutio, quae est vox Evangelii remittens peccata & consolans conscientias, non requirit cognitionem &c.

12. Sed intelligitur hic potestas & officium verè ministeriali sensu tum ratione fundamenti, quia potestas haec tantum à mandato l. ordinatione Christi dependet : tum ratione mediis, quia haec omnis potestas ad verbum est determinata, & extra verbum, nec effectum, nec fructum ullum sortitur : tum ratione modi, quia non fit in nomine ministrorum, sed tantum in nomine Christi. Unde est, sicut scribit B. Hutter. in Loc. Major. p. 765. quod Ministrorum Ecclesiae nullus in suo, sed tantum in CHRISTI, sive in SS. Trinitatis nomine peccatorem poenitentem absolvit, neque simpliciter dicit, aut dicere debet : Ego te absolvo : Sed Ego Te autoritate, mandato & virtute CHRISTI absolvo ab omnibus peccatis tuis. Unde est, quod graviter peccant Ministri, qui interdum in actus privatae absolutionis, privatis vel affectibus, l. inimicitis frena nimium laxantes in absolutionis voce annuncianda difficiliorese se praebent. Quo sane pacto per atrox sacrilegium, alienum opus invadunt, neque amplius se ministros, sed Dominos & iudices conscientiarum constituunt : de privata magis vindicta, ac propria autoritatis assertione, quam de aedificatione & salute confitentis solliciti. Quae sane praepostera ratio licet confitentis salutem nihil officere possit : ipsum tamen Ministrum fedissimi abusus clavium reum coram Deo constituit. Tunc ratione subiecti, quia ministri non sunt Domini, sed aekonomi mysteriorum divinorum I. Cor. IV. 1. aekonomus a. clavibus utitur non ex principali, sed ex ministeriali potestate : Christus est Dominus domus sua Heb. III. 6. sed ministri sunt aekonomi, qui non ex sua, sed